Podgurski Samuelis Ioannis: Apertio portae sanctae ad beatae aeternitatis augustale.

APERTIO
PORTÆ SANCTÆ,
AD BEATÆ ÆTERNITATIS AUGUSTALE,
Eximijs Virtutibus, ac Immortalibus
in Ecclesiam Meritis,
Perillustris olim, & Reverendissimi Domini,
D. GEORGII JANUSZOWIC,
JURIS UTRIUSQVE DOCTORIS,
Ecclesiarum, Cathedralis Cracovien: CANONICI,
B. MARIÆ Virginis in Circulo Cracoviensi
ARCHIPRESBYTERI INFULATI,
S. R. M. SECRETARII;
DUM EI
Post exactas gloriosè Septem Ætatis suæ Annorum myriades,
& unam trieteridem,
Viam Universæ Carnis ingresso,
Magno Sepulchralium honorum apparatu,
à Peraugusto Capitulo, Totaq; Inclyta Urbe Crac:
in ECCLESIA ARCHIPRESBYTERALI,
Iusta parentalia
PERSOLVERENTUR;
dolenti calamo
PER
M. SAMUELEM JOANNEM PODGURSKI,
Ph. D. Eloquentiæ in Collegio Minori Professorem, eiusdem Ecclesiæ Archipresbyteralis Pænitentiarium Radyminscianum, S. R. M. S.
Ad æternam tanti Viri memoriam,
DESCRIPTA.
Anno Iubilei 1700. Urbis Crac: 1000. Universitatis Cracovien: à Fundatione D. Iagelonis 300. Die 29. Aprilis.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

APERTIO
PORTÆ SANCTÆ,
Ad beatæ æternitatis Augustale.

CApitolium Cœleste ingressuris,
plurimùm negotij, circa portam est.
Ab hac enim Sanctiori Arce,
onusti pœnis arcentur Pœni;
etiamsi totam armauerint Africam.
Nempe quos sua illaqueat Capua,
hanc beatam Vrbem capere nequeunt.
Et licet gemmea illa Pergama, suam quoq; vim patiantur;
sed tantùm à Gratijs.
Illarum Suauis Violentia,
Cœlum non pugnando expugnat.
Pro hoc Ilio decertantes Christiani Achilles,
Solo amore duce;
per medios ruunt Satellites.
Pernices in Olympijs militantis Ecclesiæ Ajaces,
Fortis armatus, qui custodit atrium;
intra Sacratiora vltro admittit Aydta.
Exeste hinc,
astutam sub pectore vulpem celantes Läërtiadæ!
Vestibulum hoc, geminis duntaxat.
patere sueuit Clauibus,
Virtutum & meritorum.
Exeste
vulnifici Phalaridum vultus!
Taurô suô immaniores belluæ:
Visio pacis, nec spectare dignatur talia ostenta.
Hanc beatam Tellurem
Soli mites possidebunt.
Cognatus Cœlo animus,
Nullis praua affectionis agitatus tumultibus;
Cœli Hæres est.

Huius

Huiusmodi nobilem in porta Virum,
illud Cæsarianum manet:

Teneo te Africa;

qui suos motus tenere edidicit.
Niueæ mentes,
quibus nullus cum Censoria virgula instat Cato,
ingressum Augustioris Portæ, sibi meritò vendicant.
At fuliginosi Nigritæ,
teterrimum vitiorum halantes fumum,
procul à Regione lucis, in Phlegetonta protruduntur.
In libertatis Regno,
Sardi venales, non Consules modò;
sed ne inquilini quidem esse queunt.
Sterilescentes animæ,
quæ, assidua otij rigent glacie;
intra amæna Paradisi Cœlestis Lilieta, non florebunt.
Soluto gelu pectoris,
attollere propiùs Phæbo caput necessum est,
qui cum Flore Nazaræo delitiari exposcit.
Gemmeis portis augusta Civitas, ipsa aurum mundum;
nihil coinquinatum admittit.
Metropolis Regis magni, securitatis Regia,
non fortibus & potentibus,
Sed Dominis Virtutum,
Portas æternales, aperuisse, Divino œdypo, perhibetur.

Ita est,

Clusio, non Patultio sacrant,
qui se vitijs mancipârunt.
Talibus duntaxat
hiante ore, patet atri janua Ditis;
Cœlum mille obvallatur vectibus.

Felices animæ,

quibus virtus & merita anteambulones agunt;
aperiri his Portam Sanctam,
Divinior enuntiat Cyrrha.
Nempe virtus immeritis mori Cœlum recludens,
habet & claves & balistas,

 quibus

quibus claustra beatæ Æternitatis reserantur.
Huiusmodi Aprilis verè Aperilis
Tibi contigit,
Perillustris olim & Reverendissime Domine,
D. GEORGI IANUSZOWIC,
J. V. D. Ecclesiarum Cathedralis Crac: Canonice,
B. M. V. in Circulo Crac: Archipresbyter
Infulate &c.
Vir æternâ memoriâ dignissime.
apertâ, in Ecclesia militante Gratiarum Portâ
Tu quoq; derivatis ex ea Gratijs stipatus,
Rege hoc Mensium,
Portam Regni Cœlestis ingrederis,
pro Iubileo perennem inter Hierarchias jubilum acturus.
Nempe eodem cursu respondent vltima primis,
Gratiarum filius vixisti,
Gratiarum tempore, ab exilio in Patriam postliminio redijsti.
Quid enim Vita Tua fuit?
Nisi innocentiæ Prototypon, Virtutum encyclopædia?
A teneris non tener, sed maturus, exemplo monstrâsti,
posse in adolescente Virum esse,
Si mores adolescant.
Solam ergo teneritudinem conscientiæ retinens,
Chamalæonteam juuenum inconstantiam exuisti.
Amphitheatrum probitatis omnigenæ ingressus,
non Roscium, sed Athletam egisti.
Serius nempe ludus est, virtutis exercitium.
Tui ipsius Argus,
centum vigilijs virtutum oculatus,
mundi, tanquam fraudulenti Mercurij versutias,
è specula mentis perspexisti.
Ebur illud mentis, sinceritatis Crystallus,
Te Divis parem, hominibus pene superiorem monstrauit.
Masculus ad seria animus,
in aduersis prosperisq; immotus, & constans.
Te Virum Quadratum probauit.
Difficile alijs negotium, affectibus habenas imponere;
Tibi

Tibi planè innatum ſupra iraſcibilem & concupiſcibilem imperium.
Paucos vidit Orbis Alcidas,
qui monſtra vitiorum triumpharent:
Tibi aſſidui ex hac Lærna triumphi.
Quidquid Sybaritam olet, peroſus,
decempedâ modeſtiæ, Te ipſum menſus es.
Ophtalmiâ nunquam laborans,
proximi felicitatem, Tuam exiſtimans,
Securum à vulture Promethæi pectus geſſiſti.
Innocentiam mentis, corporis puritatem,
iugi cuſtodiâ contra Paphiæ inſultus, ita muniviſti,
vt Te Hyppolito Caſtiorem exhibueris.
Nempe in ara cordis,
Veſtalibus Sanctiores, quia Divini Amoris ardebant ignes;
quibus Idalios focos extinguebas.
Contra ſola vitia Vatinius,
debacchari tamen nunquam es viſus;
quia innata manſuetudo procellam animi componebat.
Eos, qui Curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt,
exemplo Tuo damnans,
frugalitatis regulas, Regulo exactiùs domi foriſq; obſeruâſti.
Porro tam probatis moribus, Seneca monente,
ſapientiam adjunxiſti, aurum gemmâ ornâſti.
In Porta eruditi laboris,
Auroram quaſi auream horam,
perpetuis diligentiæ excubijs, ita coluiſti;
vt Amiciſſimam Tuis Muſis effeceris.
Cleanteis Lampadibus,
Atticas noctes, in dies vertiſti.
Rigidiſsimus temporis exactor,
nec trihorium Vacunæ conceſsiſti.
Nutrimentum generoſi animi labor,
ita Te in Olympijs Studiorum roborauit,
vt indefeſſo curſu, ad brauium perfectionis permeares.
Poſt tot pro Roſtris Academicis, animorum victorias,
quanto plauſu Portam Tibi honoris reſerauit;
Gracia Pallas!
Gemino virtutis & eruditionis triumpho conſpicuus

geminas in Philosophia obtinuisti Laureas.
Nempe illus tantùm laureatos postes ingredi conceditur,
qui non à limine salutârunt Musas.
Porro Sarmaticæ Athenæ & Iagellonicus Academus,
in sublimi Doctoratûs Philosophici exedra,
jam Te Isocratem & diuiniorem venerabantur Platonem.
Inæstimabiles ingenij opes,
non ostentationi, sed aliorum eruditioni impendisti:
Hôc ipsô prodigus,
quòd sinceritate docendi, & candore Academico
non Tibi sed alijs vixeris.
Phœbi more, cum alijs luceres,
etiam peregrinatione in Laurentias oras;
eundem imitatus es.
Nempe mentes Cœlo natæ, vno Lare claudi nesciunt,
Sed solis instar, se in Orbem circumagunt.
Consignauit in Vrbe Orbis Principe Vtraq; Signatura virtutes Tuas.
Sigillauit annulus Piscatoris
deuotum Sacræ Themidi pectus.
Ipsa Romana sapientia, Tuam sapientiam venerata,
fætum non vna Pallade caput,
Laureâ Iuridicâ redimiuit.
Adijsti sæpiùs Astreæ Sacraria,
vt dignus ipsius fieres Mystes.
Sacris interfuisti Consistorijs,
non perfunctorius tantæ Majestatis spectator;
sed integerrimus Canonicæ veritatis obseruator.
Regem Sacrorum adorâsti,
vt beatior surgeres.
Singula Hesperij Orbis decora,
in vastissimum animum collegisti;
Vt viuum Pantheon virtutum & scientiarum,
in Patriam redijsses.
Limina Apostolica inuisisti in terris,
vt Tibi ociùs Clauiger,
Cœlestia reseraret.
Porrò cum pleriq; peregrinando, à se abeant,
& nihil noui in Patriam referant, præter morum corruptellam;

Tu

Tu novus Aristides redijsti.
Gentilitia LILIA Tua,
tum demum majorem sparsêre odorem.
Gemmeus innocentiæ candor, auctus in eis in immensum,
congregauit, non disgregauit multorum in se obtutus.
Nulli flori excelsitas major;
nihil quoq; mente Tuâ DEO Sacratâ sublimius.
Quid enim KŁOSNIK seu MANIPVLVS LILIORVM,
in AVREA COLVMNA denotauit?
nisi caput aureum, præcelsis honorum fascibus coronandum.
Obeliscus hic, ex Principe metallo conflatus,
vtiq; non vno seculo fulciuit & ornauit Ecclesiam.
En vt admouent hanc Columnam Templo DEI,
peritiores Caretes, Illustres Tui Antenati!
Adhuc prostat aureus Solis Iustitiæ Colossus,
in Vauello,
Perillustris olim & Reverendissimus Dominus,
BARTHOLOMÆVS IANUSZOWIC,
Ecclesiæ Cathedr: Crac: Canonicus, I. V. Tripos.
Eum Virum
statera judicij, ita ZADZIKOVIANÆ olim prudentiæ cõmendauit;
vt corculum suum, & dextram manum appellauerit.
Vidit nempe Celsissimus PRINCEPS & pientissimus PRÆSVL,
COLVMNAM hanc, nullis laboribus fractam;
ideo partem Solicitudinis Pastoralis maximam, in illa reposuit.
Audiuit tunc attonita Diœcesis IANUSZOVIUM,
Generalem Causarum AUDITOREM,
& experta est aureum os & linguam, tanti Antistitis fuisse.
Compendium Gratiarum,
Perillustris olim & Reverendissimus Dominus,
IOANNES IANUSZOWIC,
Ecclesiæ Cathedralis Premisliensis Canonicus:
Verè justitiæ Canon, Virtutum omnium gnomon,
Certè hic germani Sanguinis tui vnio, dulcî eloquiô ipsa Charis.
cùm nihil mortale egisset,
hactenus in omnium pectoribus viuere non desinit.
Nempe sola virtus, architecta immortalitatis,
inter funera viuit Phœnix.

Flos Prædicatorum

Religiosissimus, & Admodùm Reverendus Pater,

ERASMVS IANUSZOWIC,

Sacræ Theologiæ Præsentatus,
Dominicanæ Familiæ *dulce Decus & Præsidium,*
Solis Aquinatici, illustris vmbra.
In vtraq; exedra, Lilia & Rosas locutus noster hic Arpinas,
Traducem à maioribus pietatem,
vt ægritudini animorum mederetur,
dulcissimis Nominibus IESV & MARIÆ, ita excoluit:
vt vas Electionis meritò audierit.
Sed quò penna evolas?
Præeuntes ad Portas Cæli tot Aborigenes, veros Israëlitas,
(in quibus, non est inventus dolus,) suis cum virtutibus;
sola æternitatis Diphtera, iam dudum connotavit.
Siste gradum candidæ volucris nata!
Solum GEORGIVM, ex Portis virtutum & meritorum,
ad Portas honorum, Principum comitante favore prodeuntem;
ocyus sequere.
Primam ei honoris Ianuam, vltro aperuit,
in Collatione Decanatûs, ad Ecclesiam Collegiatā Sandomiriēsem,
Serenissimus olim & Invictissimus,

IOANNES CASIMIRVS,

Poloniarum Rex,

Regalis & victoriosissimæ Iagellonicæ stirpis, Coronis & Corona.
Miraris, repulsis tot ab hac Sponsa Procis,
Principis animum, in GEORGIVM inclinasse?
sed eximia ipsius virtus, admirationem excutit.
Dignus erat, vt etiam sine instantia, tanti honoris Portā occuparet.
Nam illis tantùm precariò honor venit;
quibus nullum à virtute Suffragium est.
vnde etiam ipso tacente
Tanta merita ad Principem perorarunt.
Iterum provola, sublimiùs calame!
Periucundum spectaculum visurus.

Trzebicianus Olor, Polonæ felicitatis Oscen,

conco-

concolorem sibi JANUSZOVIANI Lilij candorem;
en vt in apricum exposuit!
Fuerant tunc, in aula pij PRÆSVLIS, plurimi Themistocles,
quibus huius Miltiadis trophæa somnum excutiebant.
Attrivêre cothurnos terendo sæpius Principis limina;
patentes tamen honoris Ianuas, vix meruêre.
Scilicet à sola Lucina, in tantam lucem se deducendos autumabant.
Felicior virtute duce, comite labore Candidatus
IANVSZOVIVS.
Palmas alijs non præripuit, sed vltrò oblatas modestè prætulit.
Inter conscriptos excelsi VAVELLI PATRES,
in eam Portam honoris primus ducitur,
quæ, præscribente LEONE X, nobiliori dũtaxat destinata sanguini.
Adeo virtuti invia, nulla est via;
qua, perobstantes catervas explicat sua victrix arma.
Quid tandem senserit de JANUSZOVIO,
Augustior ille Senatus?
paucis excipe;
Omnes, illum velut vnionem suarum Coronarum,
in sacrario cordium fovebant.
Omnes, tanquam effigiem boni viri,
aut imitati aut mirati.
Cuncti velut columbam felle carentem amplexi.
Stupenda viri mansuetudo, comitas, vita exemplaris,
prudentia,
quodam magnetismô omnium corda ad se trahebat.
Summis quibusvis negotijs tractandis, ex asse par,
sub nulla mole fatiscebat.
Romanis & Diœcesanis Commissionibus
ad causas grandis importantiæ, datus Arbiter,
Sapientiam pariter & æquitatem, publice exploratam reliquit.
Judex Surrogatus
in observatione Canonis Areopagitam egit.
Felix tanto sub Iudice causa, nunquam experta Rhadamantum.
Tanta rerum momenta, æternis digna monumentis expedivit:
vt etiam Magnus ille Byzantini Orientis Triumphator,
Regum Poloniæ Phœbus,

vnicus Literatorum Mecœnas
Serenissimus olim & Potentissimus
IOANNES III.
Poloniarum Rex,
comparem Intelligentijs viri genium probauerit.
Optabant alij, beatum hoc Circuli Cracoviensis centrum,
Anhelabant augustam hanc sanctioris Berecynthiæ Ædem;
Sed IOANNES ipsa Gratia, vota GEORGII præuenit,
vt olim Compalæstritæ sui, concentratas virtutes,
in Porta Regiæ Vrbis coronaret.
Assurgite iam Sanctiores Principis Ecclesiæ postes!
Attolite Portas!
Magni Archipresbyteri vestri, pios recipite Manes,
Basilica Magnæ DEI Matris,
pande Ostium exiguæ ædiculæ,
quam pauloante Magnus tui Prælati inhabitavit Animus.
Iam non solus Augustus
Se lateritiam accepisse Romam,
marmoream reliquisse glorietur!
cùm JANUSZOVIANA pietas,
postibus & pavimentis marmoreis,
Romani æmulum, Tibi auxerit decorem.
Non invidemus, sua Quiritibus festa,
quibus vestibula ædium floribus coronabant;
en redimita JANUSZOVIANIS LILIIS,
Sacra DEI Parentis adyta,
Solennem hanc, in ævum servatura sunt pompam.
Hic Sacra patientis Christi tragœdia,
vivis coloribus expressa.
Hîc Flos Campi,
calcaneo impiorum olim protritus;
in sumptuosissimis, visendus exponitur Iconismis.
Hîc in Sacris Altarium paramentis,
effusa JANUSZEVII, triumphat liberalitas
Sed

Sed iam illachrymare Calame!
Cùm Prælatus Clero, Paſtor Gregi, Patronus clientibus,
Pauperibus Pater,
quos paulòante Pane cœleſti, verbo, exemplo,
opibus, & ope, aluerat.
ingeminet: Salve æternumq; vale.
Dudum ſe præeuntibus, virtutibus ac meritis immortalibus,
iam in reſerata, beatæ æternitatis Porta conſtitit;
Cracia Porta vale.
Annoſus Neſtor,
exacto Vrbis ævo, interminabile ævum inhoavit.
Fidem ſeruavit, curſum conſumavit,
æquitatis Doctor & factor,
in reliquo quid repoſitum haberet?
niſi coronam Iuſtitiæ? quam ei reddet juſtus Iudex.
Quod ſi, quàcunq; Porta egredimur in mundum,
eburneâ corneâve;
non caſu, ſed æternis Providentiæ Legibus prodeamus;
quis mortem in caſum & fortunam referat?
Statutum eſt hominibus ſemel mori.
Ingreſsûs & egreſsûs noſtri, deſtinata eſt dies.
Aſt hæc divina ſanctio, indulgentiùs egit,
cum pientiſſimo Archipresbytero.
Ipſo die Tutelaris ſui, mortalis eſſe deſiit;
vt Divinus Heros, Domitor ſtygij Draconis GEORGIVS,
Baiulum Nominis ſui & virtutis,
ſecurum, ad Portas beatæ æternitatis perduceret.
Porro cùm ſic tranſlatus ad plures,
omnes valere jubeat cupiatve;
Vobis, mœſtiſſimi vltimarum Tabularum Executores,
integerrimi, ſuæ mentis Præſtites,
vtriuſq; ſalutis Fauſtum peroptat ſeculum.
Tibi eximia RUSZKOVIANA pietas,
Sint faſti ſemper in Vavello dies, & inter Coronas,
etiam Tiaræ, erudito vertici deſuper imponantur.
Tibi Magne Succeſſor,

Perillustris, & Reverendissime Domine,

DOMINICE LOCHMAN,

Juris Vtriusq; Doctor.

Ecclesiarum Beatæ MARIÆ Virg. in Circulo Crac:

Archipresbyter Insulate,

Collegiatarum, Sandomiriensis DECANE,

Opatoviensis CUSTOS, &c.

Vti pro coadiutrice cura,

cœlestia precatur cum honoribus charismata;

Ita se suumq; Ovile in Sacrario cordis reponit.

Cùm sis Dominicus,

Dominicum gregem incolumis pasce.

Fesso Atlante adhuc stante vitâ, suffectus Hercules,

sacro ponderi lacertos suppone,

& diutissime Portantem omnia porta.

Tibi Fraterni sanguinis gemma, quem filiali obsequio venerabaris;

desideratissimus Patruus,

divinæ benedictionis vovet auctoramenta.

Vobis omnibus qui hinc exeuntem,

ad apertionem PORTÆ SANCTÆ,

votis vestris comitati estis, æternum geminat:

Vt videatis Cœlos apertos,

Et JESUM stantem à Dextris Virtutis DEI.

Permissu Magnifici Domini

RECTORIS.